



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

20. An Inquisitores possint habere familiam armatam? Et an Domini
temporales impediets supra dictos, & familiam armatam Inquisitorum pro
delatione armorum possint ab ipsis puniri tanquam turbatores ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

RESOL. XIX.

An Index laicus a suo legitimo Superiore, & non ab Inquisitoribus compellendus sit, ut Hæreticum mortu-
dat? Ex p.4. tr.1. Ref.59.

§.1. A Suo Superiore, & non ab Inquisitoribus compellendum esse docet Seraphin. Freitas in novis addis. de Confessar. solicit. q.2. n.78. ubi sic ait. Hinc fit non videri veram sententiam Felini in cap. ad abolendam, de hæret. dum resoluti Inquisitores procedere posse contra iudices seculares, si hæreticos sibi reli-
ctos non puniant ignis supplicio, hoc enim atrepto jure falsum esse constat, quia Inquisitores non condemnant ad mortem, nec illi ordinant sententiam sed relinquunt hæreticos, & a suo foro dimittunt unde licet iudex secularis non possit immutare penam ju-
re, aut consuetudine præscriptam, ad eam tamen im-
ponendam compelli debet non ab Ecclesiastico, sed a suo legitimo Superiore. Ita ille.

2. Sed hanc sententiam ego satis reprobavi in p.1. tr.2. resol.134. ubi ex multis DD. docui Inquisitores in tali casu posse per censuras procedere contra iudi-
ces seculares, ut hæreticos igni tradant sine metu irre-
gularitatis, & punire dictos iudices tanquam fautores hæreticorum, & hæc opinio patet ex Bullis Urbani IV. Clementis IV. & Innocentii IV. quas adducit Camillus Campegius in addis. ad Zanchinum de hæret. cap.8. ltr. regulam contra i. ubi late docet hanc sententiam, & post illum Pagna in direct. Inquis. part.3. quest.36. comment.8. ubi ex rationibus, Doctorum auctoritate, & ex Bullis Pontificiis solide firmat, posse Inquisitores compelle-
re per censuras iudices laicos ut mandent executioni sententiam a se laram, & hæc est communis sententia Doctorum, fundata in supradictis Bullis Pontificiis. Vnde maxime doleo Freitas alioquin virum doctum, & de facto Tribunali bene merentem, contrariam sen-
tentiam docuisse.

RESOL. XX.

An Inquisitores possint habere familiam armatam? Et an Domini temporales impediunt supradictos, & familiam armatam Inquisitorum pro delatione armorum possint ab ipsis puniri, tanquam turbato-
res Officii Sacra Inquisitionis? Ex part.4. tractatu 8. Refol.31.

§.1. R Espondeo affirmativè cum Zanardo in direct. Theolog. part.2. cap.6. q.15. & patet in Clementi nolente, §. porro de hæret. & per DD. quos ego adduxi in tract.2. de immunit. Eccles. Refol. ult. Vide etiam Sinap-
cam in Cathol. instit. tit.34. num.23. & in 41. Campes-
gium in addis. ad Zanchinum tr. de hæret. cap.31. lit. A. 2. & in Ro-
jas singul.21. num.8. & Pagnam in direct. Inquis. part.3. quest.36. comment.103. ubi docet hanc armorum
licentiam non solum Inquisitores posse dare Officia-
libus destinatis ad denunciandos hæreticos ad comi-
tandos Inquisitores, vel ad capiendos hæreticos, sed
etiam cæteris ministris, qui quavis alia ratione S.
Officio inserviunt, veluti Advocatis, Notariis, Consul-
toribus, custodibus, &c. Et ita hanc sententiam do-
cet etiam Duardus in Bull. Camlib.2. can.1. quest.33.
num.24.

2. Vnde ex his sequitur quod Domini temporales supradictos & familiam armatam Inqui-
sitorum pro delatione armorum, possint ab ipsis puniri tanquam turbatores Officii Inquisitionis, ut notat
Card. Zabarella in Clem.2. §. porro, num.9. & Pagna ubi Ref. ult. supra.

in praxi Lusitana, lib.2. c.1. n.16. & Miranda in ordine
judicario tom.1. q.1.4.5. conc.6. Et sic aliter facientes,
tanquam fautores Hæreticorum habentur. Vnde appa-
ret, non bene Augustinum n.39. asserere, quod nullo
jure probatur, Inquisitores se posse ingerere ad punien-
dos supradictos iudices: nam jura præbent jurisdictio-
nem Inquisitoribus, puniendi fautores Hæreticorum.
Sed dicti iudices non puniuntur pena mortis Hæreti-
cos, tanquam fautores illorum habentur. Ergo possunt
per dicta jura, contra illos, Domini Inquisitores pro-
cedere. Et ita mecum sentit Pagna in direct. Inquis.
part.3. comment.85. ubi ponit verba Innocentii VIII. quæ
hanc sententiam firmant. Vide etiam Farinacium, tract.
de hæresi, q.185. n.162. & Sanctarellum etiam tract. de
hæresi, c.60. dub.4. n.23.

3. Notandum est, etiam non bene asserere Angui-
num n.42. quod si Inquisitores procedere possent ad-
versus tales iudices, sequeretur absurdum, nempe,
quod iscurrerent in irregularitatem: nam respondeo
cum Cenedo in pract. qq.15. n.5. Mentiquez lib.14. c.12.
n.5. in Glossa, lit. D. Avila de cons. part.7. disp.5. scilicet.2.
dub.2. Medina in summa, lib.1. c.11. §.10. reg.4. Sancta-
rellode Hæresi, c.26. dub.1. n.8. & aliis, in tali casu Do-
minos Inquisitores, instando, ut exequatur sententia,
non incurrere irregularitatem, ut infra etiam patebit.

4. Manet igitur explosa sententia Anguiani. Sed
adversus Iuristam Complutensem, Theologus Com-
plutensis videatur: est Petrus Lorca in 2.2. D. Thom.
q.11. art.4. disp.49. n.9. ubi asserit, iudicibus secularibus
omne arbitrium circa executionem sententiæ Hæreti-
corum sublatum esse, non obstante illa obsecratione,
quam Inquisitores præmittere solent, quando reum
brachio seculari tradunt, petentes, ut cum eo miseri-
corditer se gerant: nam obsecratio illa inventa est, ut
iudices Ecclesiastici evaderent irregularitatis pericu-
lum, per quam tamen nihil committitur arbitrio Iudi-
cis secularis, sed solum protestatur Ecclesia affectum
suum, quo, quantum est in se, averfatur penam san-
guinis, & nolle, si fieri posset, eam inferre. Sed, quia ta-
lis protestatio non tam efficax poterat apparere ad irri-
tandam irregularitatem, ideo Paulus IV. & Pius V. mo-
tu proprio decreverunt, tam Inquisitores, quam quos-
cunque ministros, & Consultores, ab omni irregulari-
tate immunes esse, quomodocunque ad condemnatio-
nem Hæretici concurrant. Ita Lorca, ubi supra. Dicen-
dum est igitur contra Anguianum, in supradicto casu
Dominos Inquisitores posse contra iudices laicos per
censuras procedere. Sed ad aliam quæstionem, circa ju-
risdictionem Inquisitorum, deveniamus.

RESOL. XVIII.

An Inquisitores possint compellere iudices laicos negligentes
exequi sententiam ab eis laram contra Hæreticum?
Ex p.4. tr.8. Ref.26.

§.1. D E hac quæstione alibi egimus, ideo nunc di-
co breviter quod si iudex laicus non vult
aliquem hæreticum, possunt illum compellere per
censuras, & ex hoc inquirere contra illum, tanquam
factorem hæreticorum, etiam si differat sententiæ exe-
cutionem sub prætextu quod sit injusta, quia nullo
pacto potest se intromittere in cognitione causarum
hæreticalium. Et hæc omnia docent Pagna in direct. Inquis.
p.3. q.36. comment.85. Campegius in addis. ad Zanchi-
num, c.8. Vmbertus Locutus in praxi Inquis. ver. Index,
n.57. & 66. Mandos in repet. Inquis. ver. executio lit. B.
Iacobus Simanca in cathol. instit. tit.66. n.3.

Sup. hac do-
ctrina lege
doctrinam
duarum ref.
hanc sequi-
tur, & infra
Ref. 68. per
totam.

Abi in Ref.
quæ hic est
autecedens,
& lege do-
ctrinam ref.
seq. & infra
ex ref. 68.
§. hunc.

Et Potestate Inquisitorum.&c. Ref.XXI.&c. 425

*suprà, qui citat glossam notabilem in cap. statutum, ver.
indirectè. de haret. in 6.*

RESOL. XXI.

An Inquisitorum jurisdictio in familiares suos in criminibus aliis diversis ab haeresi sit secularis, vel Ecclesiastica?

*Et an Domini Inquisitores possint tenere familiam arma-
tam, sub cujus nomine comprehendantur Notarij, Ad-
vocati, Consultores, Fiscales, & Birruarij, & familia-
res omnes ? Ex p. 1. tr. 2. Ael. 136. aliàs 135.*

B Agilius Pontius de *matr. lib. 5. c. 12. n. 15. & seq.* probat, supradictam iurisdictionem esse in sua origine sæcularem & quod sæcularis etiam conservatur, ut patet ex diversis concordatis pro Regno Valentie, Sicilie, Aragonum & Castellæ, quorum nonnulla refert Simancas *tit. 4. num. 16.* in quibus Rex limitatur, prout ibi æquum videtur, eiusmodi Inquisitorum iurisdictionem: quod cumque fieri à Rege non possit, nisi illa iurisdicção, & sæcularis esset in sua origine, & sæcularis etiam conservaretur: si enim Ecclesiastica fieret, non esset illius dominus, ut eam limitare, aut suspendere posset. Vnde quoties inter Consiliarios Regis, & Inquisitores aliqua controversia oritur de iurisdictione, ad Regem recurrit, & quod illi placeat, exequutioni mandatur. Quæ omnia evidenter demonstrant, hanc iurisdictionem esse sæcularem, ita ut eam extendere, limitare, & suspendere possit Rex, qui eam à principio concessit. Hæc, & alia plura Pontius, ubi *supra.*

2. Sed contrariam sententiam amplectendam esse existimo, quam novissimè ex multis, & solidis rationibus docet Hispanus Jurisconsultus Alphonsus à Narbona, vir eminentissimæ literaturæ, tom. 2. in 3-p. *Recop. lib. 4. tit. 1. l. 20. Glossa 22. per tot. Et ratio est*: quia ex privilegio Summi Pontificis Ioannis XXII. ut notat Barbosa de potest. Episc. p. 3. alleg. 107-n. 6. Maceratensis lib. 3. refol. 14-n. 1. Grassus de offic. cleric. effect. 1. n. 130. Zanardus in direct. Confess. par. 2. præcep. 1. c. 6. q. 31. Farinacius tract. de heresi. q. 128. n. 90. & alii; Domini Inquisitores possunt tenere familiam armatam, sub cuius nomine comprehenduntur, ut docet Zanardus, Notarii, Advocati, Consultores, Fiscales, Birruarii, & familiares omnes: Ergo iurisdicção in supradictos est Ecclesiastica, & non secularis: sicut iurisdicção Episcoporum in laicos suos familiares, qui gaudent privilegio fori. Deinde temporalis iurisdicção spirituali, & Ecclesiastica conjuncta Ecclesiastica est: censenda: Ergo, Vnitum enim annexam naturam sequitur illius, cui annexio fit. Dicendum igitur, quod DD. Inquisitores in examinandis familiarium, & cæterorum Officialium causis, ex vi, & potestate Ecclesiastica iurisdictionis cognitionem habent, vel faltem ex regia iurisdictione per incorporationem, vel unionem in Inquisitores translata; & idè excommunicandi potestatem habent. Cæteras rationes, nam ego brevitati studeo, videbis apud Narbonam, ubi supra, nam ad fatieram solide, & perdoctè hanc questionem examinar adversus allegationes Iosephi Mur, hodie latentes, iussu supremi Inquisitionis Senatus.

3. Reflat modò respondere ad argumentum de concordatibus, quod adducebat Pontius, ubi *supra*. Dico igitur cum Narbona, loco cit. num. 2. quòd tantum abest, quòd Inquisitores regiam jurisdictionem, ad tractanda familiarium causas, ex concordatis istis tantummodo obtineant; ut imò concordata hæc facta fuerint, contradicente supremo Inquisitionis Senatu, ad restringendam potius, & limitandam generalem illam jurisdictionem cognoscendi de omnibus, & quibus

Tom. V.

cunque delictis à familiariibus commissis, quam Inquisitores ex potestate Ecclesiastica noscebantur habere, quam ad aliquam jurisdictionem illis noviter elargiendam. Quare in concordatis hujus Regni Siciliae admittit Inquisitoribus facultas cognoscendi de quinque casibus ibidem expressis: in cæteris vero, jure suo, ac potestate eisdem Inquisitoribus relicta, & reservata procedendi per excommunicationem, & censuras Ecclesiasticas, quod signum evidentissimum est, Inquisitores habere alioquin jurisdictionem Ecclesiasticam in prædictis familiaribus: nam, si solum regiam, & sæcularem haberent, Rex ipse non posset permittere, aut tribuere potestatem cognoscendi per censuras in cæteris casibus, præter expressos, ut permittitur in supradicta concordia Siciliae. Ita Narbona, ubi supra: lege illam, & non pigebit.

RESOL. XXII.

An Inquisitores Hispania habeant jurisdictionem in causis criminalibus, & Civilibus suorum familiarium? Et an non solum familiares S. Officij gaudeant privilegio fori, sed etiam eorum uxores non solum vivente marito, sed etiam mortuo, donec in viduitate permanserint? Ex p. 4. tract. 8. Ref. 55.

§.1. **P**rimò quoad causas criminales, respondeo affirmative, exceptis certis criminibus, de quibus Ioannes de Heuia in *Curia Philippica* part. 3. §. 1. num. 19. & Narbona in *recopil. lib. 4. tit. 1. leg. 20. glos. 1 & seq.* & alij.

2. Sed difficultas est quoad causas civiles, nam Ferdinandus de Castro in *oper. mor. tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 12. §. 2. n. 9.* sic affert in causis civilibus solum credo Inquisitores habere iurisdictionem respectu officialium, qui sunt a secretis, ij enim solum conveniri, & convenire debitorum possunt coram Inquisitoribus, non autem alii officiales externi. Ita Castrus.

3. Sed hæc sententia ita absolute prolata ut mihi non
placet falcem quoad Regnum Valentia: & ideo Rojas
de hæret. p. 2. n. 421. sic ait: Inquisitores habent fami-
liam armatam, vulgò *familiares*, & eorum causæ tan-
ciuiles, quam criminales in hac Inquisitione Valenti-
na ad Inquisitorem cognitionem pertinent, iuxta con-
cordiam novam & antiquam inter Regiam Maiestatem
& Inquisitorem initiam, quod etiam observatur in hoc
Regno, Siciliae. Vnde Paramus de orig. Inquis. lib. 3. g. 6.
n. 27. ita asserit: Inquisitio formata per iudices facu-
larios contra familiares S. Officii, Regni Siciliae nulla
est & invalida, illi enim coram iudice laico neque ci-
vilitate, neque criminaliter conveniri possunt cum fore
S. Officii, quod est, Ecclesiastico gaudent, tum ex iure
municipali illius Regni, tum ex iuris Pontificii deci-
sionibus, privilegiis, consuetudine immemoriali, &
concordatis initis inter Regem & Inquisitores ann.
1580. Hæc Paramus, quæ omnia servari in Catalonia,
& in Regno Aragoniæ & Maioricarum testatur Nar-
bona ubi sup. n. 14. & glossa 6. n. 2.

4. Notandum est tamen hic obiter quòd Narbona loco prius citato num. 75. ex Paramo observat quòd in hoc Regno Siciliae non solum familiares gaudent privilegio fori, sed etiam eorum uxores non solum vivente marito, sed eo etiam mortuo, donec in viduitate permanserint.

RESOL. XXIII.

*An in Regnis Hispaniarum solum Inquisitores possint
publicare Edicta fidei, & non Episcopi? Ex part. 4.
tract. 8. Res. I 26.*

N n 3

§. 1. Quid